

Bidens calyce oblongo. *Mira planta, floret.*
 Mimosa e Senegal. *Una pl. excrevit.*
 Poinciana. *Pulchre crescit; sed semper hyeme moritur.*
 Psoralea corylifolia. *Crescit.*
 Lobelia Act. Ups. etc. Lobelia antisiphylitica, *sed teneræ adhuc.*
 Bocconia. *Unica planta egregie crescit.*
 Cestrum. *Unica planta enata.*
 Nicotiana calyce inæquali. Profecto stupendæ raritatis planta. Floruit, non semina dedit.

Nicotiana tubo prælongo. *Floruit et semina dedit pulcherrima.*
 Lycopersicum pimpinella sanguis. folio. *Floret sed non dat fructum; racemi bini.*
 Lycopersicum fructu Cerasi rubro. *Dedit fructum.*
 Abutilon Lavateræ fr. cristato. *Dedit fructus.*
 Malva capsulâ seminis bidentatâ; rarior planta. *Semina dedit.*
 Malva ribesis folio fl. parvo; rarissima planta. *Semina dedit.*
 Alkekengi fl. violaceo. *Eximia planta. Vera Physalis.*
 Œnothera fr. brevi tetragono, unico semine. *Certe novi generis. Floret.*
 Tot totidem plantis rarissimis auxisti hortum nostrum; hisce plantis me lautissime excepisti; excitasti; vires animumque infudisti.

Inter eas quæ non germinarunt maxime doleo et defleo sequentes.

Digitalis acanthoides. — Alsine lotoides. — Digitalis ferruginea. — Coldenia (sed vixerat). — Dalechampia. — Triumfetta. — Camphorata. — Gloriosa. — Genipa. — Achyranthes lanata. — Cephalanthus indicus. — Browallia pernana. — Carica. — Bauhinia. — Pongati. — Portulacæ affinis. — Persicaria Sinensis.

Si apud te succreverit *Hottonia Burmanni*, quæso mittas ad me in literis plantulam et simul dicas ad quod genus referatur; examinavi quidem olim plantam siccam cum Burmanno, at specimen antiquum ita exsoletum erat, ut nihil certi inde elici potuerit.

Quæso dicas mihi quot semina *Alsine lotoides* habeat. An 15?

Hac æstate exstruxi vivarium in Horto Academico pro avibus et animalibus.

Leptostachya Mitchell s. *Verbena* floribus reflexis Gron. Virg. et absolute novi generis* planta floret.

Plantæ Catesb. Carol. 2. p. 28 et Pluk. t. 161. f. 3. sunt absolute ejusdem generis novi. Character consistit in corollâ cyathiformi, quæ extus habet 10 cornicula in orbem posita.

* *Phryma*, Linn. (in dissert. supra memoratâ *Nov. Plant. Genera*).